

σταν. Septuaginta interpretes in V. T. *ἰσχυρὸς* *σταν*
 ex Hebræo *שָׁמַר*, quod est statio & consilten-
 tia firma, *Psal.* 69. v. 3. Deinde *elenchus*, id est,
 demonstratio, argumentum, convictio est, & in
 sacris pro redargutione contradicentium &
 peccantium frequentatur, *2. Tim.* 3. v. 16. *Tit.* 1.
 v. 9. *Eph.* 5. v. 11. cui in Hebræo respondet *תּוֹכַח*,
 id est, reprehensio, correctio, quod septua-
 ginta ferme per *ἐλεγχον* reddiderunt, *Prov.*
 6. vers. 23. & *cap.* 29. vers. 15. Tertiò voce
τῶν ἐλπίζομένων proculdubio denotatur obje-
 ctum spei, quod fidei etiam commune sit.
 Est autem spei objectum tum quod speratur,
 ut vita æterna, tum id in quod speratur, ut Deus
Psal. 71. v. 5. *Jerem.* 17. v. 13. & Christus *Colos.* 1. v. 27.
1 Tim. 1. v. 1. & huc non solum futura bona, licet
 hæc propriè, verùm etiam præsentia, imò &
 præterita, quæ credimus facta & confidimus
 mansura, pertinent, quæ sperari quandoq; di-
 cuntur, *2 Cor.* 3. v. 11. Quoniam verò etiam cre-
 ditur aliquid, quod non speratur, ut Augusti-
 nus in *Enchiridio suo cap.* 8. demonstrat. Addit
 Apostolus quoque ea quæ non videntur. Multa
 enim quæ non videntur ejus sunt conditionis,
 ut nihil attineat sive demonstrari, sive redargui,
 sed ea duntaxat, quorum manifestatio ad fidem
 rerum sperandarum, quæ jam ante nominata e-
 rant, & in quibus perfectio est fidei, alendam,
 roborandam, atque exercendam pertinere pos-
 sunt. Porro, vox fidei distinctis significationsi-
 bus accipitur. Nam 1. fides dicitur *omnis in di-
 cendo veritas*, quamvis nihil promittentis & qui-
 dem

Eeee

dem